



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

In Genesis Enarratio

Chyträus, David

Vitebergæ

VD16 C 2625

I. Vxores & filij Esau.

urn:nbn:de:hbz:466:1-36126

Et uerba alicubi retineri malui, quam ineptum aliquid ipse excogitare.

I.

UXORES ESAU.

Esau accepit uxores de filiabus Chanaan, Ada filiam Elon Ethei & Oolibama filiam Anæ filij Sebeon Euei. Basemath quoque filiam Hismael sororem Nabaioth.

Nomina uxorum Esau recitantur, sed mutata, ut est usitatissimum. Nam supra Gen. 26. Cananea uocantur Iudith filia Beeri Ethei, & Basemath filia Helon.

Cap. 28. Malech filia Hismael, soror Nabaioth.

He mutationes & uarietates nominum sæpè in historijs ac præcipuè in Genealogijs obscuritatè pariunt. Ideo aliquot utiles Regule tradite sunt, quæ etiam ad Christi Genealogiam rectius explicandam conducunt.

I. Omnes homines plerumque habent duo propria nomina, Multi tria, Aliqui etiam quatuor.

Prænomen, quod uel differentie causa, uel ueteri ritu præponitur.

M. P. Au. C. T. Publius, Cornelius, Scipio.

Marcus, Tullius, Cicero.

Caius, Tiberius, Gracchus.

Nomen

Nomen, quod suum cuiq; est, Cornelius, Tullius, Licinius, Tiberius, Annius.

Cognomen, quod cognationis est commune, Scipio, Cicero, Crassus, Grachus, Milo.

Agnomen quod ab aliquo euentu impositum est, ut Africanus, Asiaticus, Germanicus, Atticus, Artaxerxes Longimanus.

II. Patres & matres, Item filij & filiae aut sunt naturales, aut legales, seu adoptati.

III. Diligenter consideranda sunt Agnomina, hoc est, nomina, quae ab euentu, ab officijs, uel alio quodam casu imponuntur, ut Iacob uocatur Israel, Octavianus uocatur Augustus. Sic Romani Pontifices sua nomina mutant, Leo X. sub quo Lutheri doctrinam Euangelij coepit instaurare, antea dicitur est Iohannes Medices. Iulius II, antea Iuliani nomen habebat &c.

Prima uxor Esau uocata est Iudith, id est, Iudaea laudatrix, Ein lobfengerin. Hoc nomen mutatur in Ada אַדָּם id est, monile, ornamentum Tante frauw, Ketenfrauw, sedens libenter ad speculum & sese comens ac ornans.

Altera Basmath, id est, aromatica, bene olens, Ein Würtzstreuchlin, Postea uocatur Oolibama, uel Aholibama, ab אֹהֶל tabernaculo, die Schick frauw, gnad frauw, fuit domina & regina. Supra dicitur has duas uxores fuisse amaras spiritui Ioseph & Rebecca, id est, excruciasse eos & totam familiam.

liam. Hinc facile fieri potuit, ut familia uocaret eam non Iudith sed Ada die geputzte tantz frau, & alteram non Basmath, id est, odoriferam, sed Tyrannicam Oolibama, quam uerisimile est eo etiam fuisse insolentiozem, quod tres filios genuerat, cum relique tantum singulos haberent.

Tertia, filia Ismael, prius dicta est Malech, uel Mahalath, id est, egrotans, infirma. Hec mutat nomen in melius, & uocatur Basmath, id est, odorifera, bene olens.

FILII ESAU

ex Ada uxore.

HELIPHAZ) אֱלִיפָז id est, Deus fortis. Hunc auum esse putant Eliphaz Themanite, amici Iob, qui circa haec tempora uixerit in terra Hus, quam in Idumaea fuisse ex Propheta Ieremia perspicuum est.

ex Basemath.

RAHVEL) רַעְוָאֵל id est, amicus uel pastor Dei.

ex Oolibama uxore.

IEHVS) יְעֻשׁ congregabit.

IHELON) יְעֹלָם Ialam, iuuenis uel absconditus.

CHORE) קֹרַח Korah, caluicies.

Habita-

Habitauit in monte Seir) Mons Seir, sunt montes Arabiae Petrae, inter Palestinam & Mare Rubrum. Haec regio ab Esau, qui Edomi cognomen habuit, IDUMEA appellata est. Et ex Idumeis nati sunt Antipater & Rex Herodes sub quo Christus natus est.

II.
NEPOTES
Esau.

Fily Heliphaz.

1. THEMANN, occupauit partem Idumaeae, cuius mentio fit Ierem. 49. & 25. & Amos 1. אֶמְתָּן auster.
2. Omar) אֹמֵר Orator uel loquax.
3. Sephua) צִפּוּר Zepho, speculator.
4. Gathan) גַּעְתָּם mugiens.
5. Chenez) קֶנֶז.

ex Thimna, Seir Horraei
filia.

6. AMELECH, à quo Amalechitae in Idumaea orti sunt, cum quibus Moses Exod. 17. & postea Israelitae Num. 14. pugnant: & quos Saul delere iussus est. 1. Reg. 15. עַמְלֵק Id est, populus lambens.